



PAENITENTIARIA APOSTOLICA

Prot. N. 716/20/1


DECRETUM

PAENITENTIARIA APOSTOLICA, attentis precibus die X mensis Septembris MMXX porrectis ab Excellentissimo ac Reverendissimo Patre Domino Roberto Farinella, Episcopo Bugellensi, omnia et singula spiritalia beneficia, in Quinta centenaria Beatae Virginis Mariae Coronatione imaginis, apud Basilicam de Oropa, vi Decretorum (Prot. N. 919/19/1 et N. 920/19/1) die XII Septembris MMXIX iam rite concessa per Iubilarem Annum a die XXIV Novembris MMXIX usque ad diem XXVII Septembris MMXX indictum, at propter epidemiam morbi "covid-19" cum populo diu pro dolor non celebratum, nunc pro Dei honore Eiusque Sanctae Matris Beatissimae Virginis Mariae, necnon pro fidelium spiritali consolatione, de mandato Sanctissimi Domini Nostri Francisci Pp., per praesentes prorogat usque ad diem XXIX Augusti MMXXI, in quo transferetur sollemnis Coronatio.

Profecto ex prorogata largitate Ecclesiae christifideles haurient pia proposita et spiritalis robur vitae ad legem Evangelicam traducendae, in hierarchica communione et filiali devotione erga Summum Pontificem, Catholicae Ecclesiae visibile fundamentum, et proprium sacrorum Antistitem.

Contrariis quibuscumque minime obstantibus.

Datum Romae, ex aedibus Paenitentiariae Apostolicae, die XIV mensis Septembris, anno Domini MMXX.


Maurus Card. Piacenza
MAURUS Card. PIACENZA
Paenitentiarius Maior

Christophorus Nykiel
CHRISTOPHORUS NYKIEL
Regens